









24

QVAEDAM  
AD  
EVRIPIIDIS HIPPOLYTVM  
NOTAE

---

QVIBVS  
AD ORATIONES VIII  
IN SCHOLA TORGAVIENSI  
HORA III POMERIDIANA  
D. XXII ET D. XXV MARTII MDCCCLXXXVI  
BENIVOLE AVDIENDAS 1796  
PATRONOS ET FAVTORES  
INVITAT  
TRAVGOTT FREDERICVS BENEDICT  
AA. LL. MAGISTER ET LYCEI TORGAV. RECTOR.

---

TORGAVIAE,  
EX OFFICINA KVRZIANA.



QVAEDAM

EVRIPIIDIS HIPPOLYTVM

N O T A E

QVIHVVS

AD GRATIAS VII

IN SCHOLA TORQVAIENSIS

NOVI III FEBRUARIA

A. XXII. M. D. XXV. MARTII. CLCCCLXXXVII

BENIVOLE AVDIENDVS

PATRONOS ET FAVTORES

INVITAT

FRANCOFF FREDERICVS BENEDEICT

AA. M. MAGISTER ET LYCEI TORQVAE RECTOR.

TORQVAE

EX OFFICINA KRELIANA





v. 830. Κακῶν δ' ὁ τάλας πέλαγος εἰσορῶ.

**B**runckius, ut metro consuleret, pro: ὁ τάλας sine librorum auctoritate correxit: ὁ πλάμων. Sed certum est, illas leges, quas de metris Tragicorum interpretes stabilierunt, non esse omni exceptione maiores. Quare in plurimis locis periculosa est medicina, quam metri causa ad emendanda scriptorum verba, quamvis Codd. repugnent, adhibemus. Cur non potius dicamus, poetam h. l. priorem syllabam vocabuli: τάλας promiscuo usurpasse, quia eam litera liquida excipit, siue poetam peculiari metri ratione, ut interdum etiam aliis locis deprehendimus, h. l. usum esse? Ita quoque supra v. 825: ὦ μοι ἐγὼ παθέων, ὦν ἔπαθον, ὦ τάλανα, Brunckius quaedam correxit, quae adhuc retinenda videbantur. Concedo quidem, ut pro ultimo vocabulo: τάλανα ex plurimis libris cum Musgrauio, Valkenario, Brunckio emendemus: τάλας; id, quod melius ad ipsum Thefeum refertur. Sed Brunckius praeterea triplici modo illi loco mederi voluit. Nam pro illo: παθέων posuit: πόνων, quamvis unius tantum Codicis auctoritate nitatur, in quem, cum alii libri hanc lectionem ignorent, atque lectio recepta: παθέων, ὦν ἔπαθον vim maiorem poetae verbis addat, facile vocula: πόνων interpretamenti loco inferi potuit. Porro vocabulum; ὦν ante: ἔπαθον cum alio: δὲ permutauit, quia in



uno Codice legebatur: *ω*. Melius tamen ille vocalium plurimarum concursus euitabitur, cui non fauebat Euripides, si retinemus lectionem librorum: *ων*. Denique, Heathio suadente, vocalum: *ω* ante: *τάλας* omisit, ut ita metrum esset concinnius. Sed, ut taceam, libros etiam huic repugnare ementationi, interiectiones tamen multis locis extra metrum positas esse constat. Ergo etiam in v. 837:

*ωι, ωι, ωι, ωι μέλεα, μέλεα τάδε πάθη*

non satis certa est Brunckii emendatio, ubi metri causa unam particulam: *ωι* omisit. Vocabulum: *μέλεα*, quod in Codd. et antiquis edd. bis legitur, ex ed. Barnesii errore typographico semel excidisse videtur; nam ibi certe in interpretatione adiecta bis latine vertitur. Valkenarius tamen in sua editione alterum: *μέλεα* consulto, licet iusta de causa non sit factum, omisisse videtur. — Alium locum, ubi etiam Brunckius, quem quidem summis antiquorum scriptorum interpretibus iure adnumero, emendationes non necessarias metri causa excogitavit, in v. 847, 848 afferre liceat:

*τίνος κλύω, πόθεν θανάσιμος τύχη,  
γύναι, σὸν ἐπέβα, τάλανα, καρδιαν;*

Verba quidem Graeca ita descripsi, ut mihi librorum auctoritate emendanda videntur. Nam in primis verbis post: *τίνος* Musgravius inseruit particulam: *δή* ex uno Codice et una ed. antiqua, ut ita legatur: *τίνος δὴ κλύω*; quam lectionem etiam Valkenarius et Brunckius receperunt. Quia vero plurimi Codd. ignorant particulam: *δή*, et ipsum versum metrum illa inferenda magis turbatum quam adiutum videmus, eam nondum admittendam censeo. In versu autem sequenti pro vulgata lectione: *έβα τάλαναν* optimae notae Codices exhibent: *επέβα, τάλανα*.  
Quae



Quae verba si admittuntur, utrumque versum inter Aesclepiadeos siue anaspalticos trimetros acatalectos esse referendum arbitror, neque alia horum verborum opus est emendatione. Brunckius autem, quia hos versus habet asynartetos ex dogmaicorum genere, non solum eiecit, libris improbantibus, vocabulum: *τάλαινα*, sed etiam illud: *γύνα* suo loco motum ibi inferuit, ubi antea: *τάλαινα* legebatur.

v. 843: τὸ κατὰ γῆς θέλω, τὸ κατὰ γῆς κνέφας  
μετοικῆν, σκότῳ θανῶν ὀτλάμων.

Ita hunc locum cum antiquis edd. etiam edidit Valkenarius, sed iure haesit in verbis: *σκότῳ θανῶν*, quae nullam interpretationem satis aptam admittant. Reiskius quidem emendavit: *σκότῳ συνῶν*, sed horum verborum sensus nihil differret ab illo: *μετοικῆν τὸ κνέφας*. Brunckius primo egregie vidit, *σκότος* h. l. ipsum inferorum locum sive oreum indicare, deinde etiam elegantem suavitatem emendationem: *σκότῳ*, ut verba: *κνέφας σκότῳ* iungantur. Nonne autem melius erit, illud: *τὸ κνέφας κατὰ γῆς* accusatiuis absolutis inter Graecos frequentissimis adnumerare et *σκότῳ* coniungere cum: *μετοικῆν*? Ita Pindarus in Pythiorum Carmine VIII, v. 147. de Amphitryone cecinit: *λευκίπποισι Καδμείων μετοικήσας ἀγυαίς*.

v. 855: Ἐλιπες, ἔλιπες, ὦ Φίλα γυναικῶν —

Musgravius putat, haec verba melius ex ore Thesei, quam a Choro, proferri, quia Phaedra dicatur mulierum optima et carissima. Sed haec apte conveniunt Choro, quia etiam in antecedentibus laudauerat Phaedram v. 842: *πολλῶν μετ' ἄλλων ὃ ἀλεστας κεδνὸν λείχρος*; ut Theseo tristitiam suam testaretur. Porro in toto loco affectus plenissimo utriusque dicentis sermo plerumque cum vocum earundem repetitione incipit; quare  
etiam



etiam in quibusdam libris ad v. 859: ὃ τάλας, ὃ τάλας persona Semichori male praefigitur. Nihil igitur impedit, quo minus etiam h. l. nouus Chori sermo incipiat. Deinde Scholiastes quoque eandem distinguendi rationem testimonio suo confirmat. Si denique, sententia Musgrauii recepta, Theseum haec proferre statueremus, ineptum funderent sensum verba: Φίλα γυναικῶν, quibus Theseus quasi indicaret, se plures etiam mulieres praeter Phaedram amare; sicut quoque ultima huius loci verba: τὸ δ' ἐπὶ τῷδε πῆμα Φέισσω πάλαι longe aptiora sunt personae Chori, quae ita auditores ad noua, quae ingruant, mala percipienda praeparat. — Quod autem vocabuli: ἑλιπές explanationem attinet, Scholiastes explicat: ἀντὶ τῶ ἀπέθανες, ideoque supplet: τὸ ζῆν. Sed facilius est illorum interpretatio, qui: ἑλιπές ad antecedentia referunt: ἕκον καὶ τέκνα. Nam proxime antecesserat versus: ἔρημος ὄκος, καὶ τέκν' ἀρφανεύεται. — In verbis v. 857: Φέγγος ἀελίστε iterum Brunckius sine Codicum auctoritate et sine causâ factis iusta omisit particulam: τε, quia metri leges ita postulare ipsi videntur.

v. 858: καὶ νυκτὸς ἀσερωπὸς σελάνα.

Musgrauius non explicari posse putat, quomodo luna dicatur: ἀσερωπὸς, *stellis distincta*, ideoque suadet novam lectionem: νυκτὸς ἀσερωπῆ σελάνα; quia illud vocabulum: σελάνα secundum Hesychium de quouis luminum genere adhibeatur. Minime tamen mutanda erat lectio: σελάνα; quia etiam aliis locis quam plurimis, sicut in nostro, solet soli luna opponi. Magis igitur ferenda esset emendatio, si tantum corrigeretur: νυκτὸς ἀσερωπῆ. Sed ne illa quidem correctione opus est nostro loco et vocabula: ἀσερωπὸς σελάνα videntur illud Horatianum exprimere: *ignes inter Luna minores*. Scholiastae explicatio, ut: ἀσερωπὸς idem sit, quod: λαμπρῶν, mihi non sufficit. Ita etiam in



verbis statim sequentibus: ὦ τάλας, ὦ τάλας non mihi placet Scholiastae sententia, ut haec posita sint pro: τάλανα. Nam Chorus primo alloquitur Phaedram verbis: ἔλπιες etc. deinde ipsum Theseum, illius nece confternatum, verbis: ὦ τάλας. Non magis denique probō eiusdem Scholiastae interpretationem, qua in v. 368 verba: θάσσει, τάλανα, esse inepta putat, quia Theseus iis mortuam alloquitur. Ei tamen propter praesentem, qua premebatur, calamitatem esse ignoscendum. Mihi vero videtur grauiissima et elegantissima apostrophe his Thesei verbis inesse, quia ille intimo Phaedrae amore incitatus suaeque fidei semper erga illam seruatae conscius coniugem iam in orcum demissam ita alloquitur, ut quasi adhuc viua bono animo esse possit.

v. 924: σιγάς; σιωπῆς δ' ἔδεν ἔργον ἐν κακοῖς.

Hunc versum Brunckius ex Marklandi et Valkenarii coniectura transposuit, ut duobus versibus: Ἡ γὰρ ποθέσα — et Κὰν τοῖς κακοῖσι — quos Codicum auctoritate antecedit, nunc esset posterior. Sed Heathius iam illam ordinis mutationem in tribus his versibus parum esse necessariam putauit, quia eo quidem modo, quo nunc in Codicibus leguntur, naturali quadam coniunctione sint copulati. Nam artificiose, ut mihi videtur, poeta silentii iam rumpendi argumenta gradationis vulgo dictae figura usus attulit. Silentium quidem Theseo seruare non licere a) quia parum conferat ad mala amouenda silentium, b) quia animi hominum res sibi ignotas libenter inquirere cupiant, c) quia potissimum in calamitatibus aliorum cognoscendis illa sciendi cupiditas eluceat, d) quia longe maior illa cognoscendi cupiditas in amicis reperiatur, e) longe maxima autem apud illos existat, qui proxime nos cognatione attingunt. Propter naturalem igitur horum verborum ordinem minime loco suo movendus est v. 924. Neque etiam satis graue est Valkenarii argu-



argumentum, quod e dramate Christi Patientis ad defendendam illam ordinis mutationem attulit. Nam versus: *σιγῆς; σιωπῆσδ'* etc. in illo dramatis loco omisus est, quia illius auctori ad rem tractatam parum utilis esse videbatur. Inde igitur nostro Euripidis loco neque ad omisionem huius versus neque ad ordinis, quem seruat in Codicibus, mutationem quidquam concludere licet. Ceterum negari nequit, si versus 924 ita transpositus legitur, ut Brunckius eum edidit, egregiam esse Musgrauii emendationem, quam in sequentibus suadet, ut pro: *ἡ γὰρ ποθεῖσα πάντα καρδία* legatur: *ἡ γὰρ ποθεῖ σὰ πάντα καρδία* — qua tamen non opus est, si ordo vulgaris seruetur; quia tum haec verba in uniuersum de animo hominum multa sciendi cupido sunt intelligenda.

v. 927: *ὃ πόλλ' ἀμαρτάνοντες ἄνθρωποι μάτην*

Marklandus eleganter emendauit: *ὃ πόλλα μανθάνοντες*. Quae emendatio orationi contextae est maxime ad commodata in qua non tam de hominum peccatis, quam de varia ipsorum doctrina Theseus loquitur. Porro Scholiastes eandem lectionem secutus esse videtur; nam explicat: *ὃ ἄνθρωποι πόλλα ἐπιστάμενοι*. In loco denique non dissimili Hecubae v. 814 etiam legitur: *τί δῖτα θνητοὶ τάλλα μὲν μαθήματα μοχθεῖμεν*. Quamquam igitur veram habeo Marklandi emendationem, malim tamen particulam *μάτην* ad verba sequentia: *τί δὲ τέχνας μὲν μυσίας διδάσκειτε*, referre, quo eam quoque Valkenarius traxit, lectionem vulgatam secutus. Nam si hominem facultate sapiendi carentem (*οἷσιν ἂν ἔνεσι νῆς*) instituis, illa quidem docendi ars in stolido frustra exercetur, sed doctor tamen ipse non frustra suam artem didicerat, in aliis certe instituendis feliciori successu exercendam.

v. 957: *δείξονδ', ἐπειδὴ γ' ἐς μίαισμ' ἐλήλυθας,*  
*τὸ σὸν πρόσωπον δεῦρ' ἐνόαντιον πατρός.*

Mus-



Musgravius emendavit: ἐς μίασμ' ἐλήλυθα atque explicat de Theseo, qui Phaedrae cadauere attingendo se polluerit, ideoque Hippolyti adsp̄ctu nunc quoque inquinari se pariatur. Valkenarius, cui simul cum Brunckio perplacuit illa Musgraviū emendatio, explicat haec verba de colloquio Hippolyti, quoniam Theseus sit pollutus. Sed fateor, utriusque interpretis sententiam frigidum his verbis sensum adiungere videri, cum in primis lectio vulgata: ἐλήλυθας Codicum auctoritate stabilatur. Melius igitur haec verba: ἐς μίασμ' ἐλήλυθας ad Hippolytum referuntur atque de stupro, quod Phaedrae inferre conatus erat opinione Thesei, sunt intelligenda. Nam paullo ante Theseus eiusdem flagitii verbis: ἤρχυε τὰ μὲν λέκτρα meminerat, ubi Scholiaſtes hanc explicationem adiecit: ὅστις ἠθέλησε μιᾶναι τὴν ἐμὴν κοίτην. Tam impurum autem et sordidum flagitium antea Hippolytus habuerat illum Phaedrae amorem, ut v. 656 ſequi. vel mentione huius flagitii verbis apertis facta se maxime contaminari putaret. Illa porro verba: δείξον τὸ σὸν πρόσωπον refero ad Hippolyti impudentiam, cuius eum Theseus simul accusat, quippe qui, tanto scelere patrato, tamen in patris conspectum venire conetur. Eodem modo antea Hippolytus v. 666 similem impudentiam tribuit Phaedrae adulterae eiusque nutrici. Illo autem imperatius, qui contrario modo actionem omittendam indicat, Euripides nostro loco etiam statim in sequentibus usus est: ἤδη νῦν ἀνχει — σίτοις καπήλευε — βράκχευε — ἐπεὶ γ' ἐλήφθης.

v. 962: δεῖσι προθεῖς ἀμαθίαν φρονεῖν κακῶς.

ἤδη νῦν ἀνχει, καὶ δι' ἀψύχης βραχῶς  
σίτοις καπήλευ' —

In omnibus edd. versus ille: δεῖσι, — κακῶς ad verba antecedentia refertur et sub finem puncto distinguitur, ut horum versuum sensus sit: *Nolim fidem habere magnificae iactationi tuae et ita*

B

tri.



buere Diis imprudentiam atque inscitiam. Musgravius quidem corrigat: ἀμαθία φρονεῖν κακῶς, hoc tribuens Diis, ut prae imperitia male sentiant. Sed illa emendatione, Codicum auctoritate destituta, nihil lucratur doctus ille interpres ad huius loci explicationem et melius refertur vocabulum: ἀμαθίαν ad verbum: προσδεῖς. Ceterum malim hunc versum 962 cum sequentibus verbis, non autem cum antecedentibus coniungere. Non satis enim intelligitur, quomodo magnificae alicuius iactationi fidem habendo Diis inscitiam atque imprudentiam affingere possim. Ille vero, qui virtutem, qua tamen caret, iactare solet, Diis, quasi scelera sua ignorarent nec improbarent, inscitiam tribuere videtur. Ergo melius haec verba: θεοῖσι προσδεῖς ἀμαθίαν cum sequentibus: ἤδη νῦν ἀνχει, puncto post: κακῶς sublato, coniunguntur. Quod autem verba: σίτοις καπήλευε attinet, varia etiam horum interpretatio affertur. Quidam cum Scholiaste ad verbum καπήλευε supplet: homines, nam Scholiastes interpretatur: ἀποπλάναι τὸς ἀνθρώπους. Sed si verba: ἤδη νῦν ἀνχει cum antecedentibus: θεοῖσι προσδεῖς etc. coniunguntur, melius etiam ad vocabulum: καπήλευε suppletur: θεῶς. Etiam in illo: σίτοις haerent interpretes, quia modo praecesserit: δι ἀλύχῃ βοῶν. Quare Musgravius emendat: ἤθεος καπήλευ, indolem tuam adultera. Valkenarius autem pro: σίτοις legi iubet: σύτοι. Quae tamen verba, si ab Euripide essent profecta, haud dubie ante: ἀνχει collocarentur. Melius igitur affirmamus, quae in genere: σίτοις appellavit, haec etiam in specie, explicationis causa dici: δι ἀλύχῃ βοῶν. Similis locus supra adfuit v. 136 sqv: κατ' ἀμβροσίῃ σόματος — δέμας ἀφ' ἑνὸς ἴχειν.

v. 993: — τὰ γὰρ δὴ πρῶτ' ἀνέτραπται πάλιν.

Varie explicari possunt haec verba, sed una tantum illorum explicatio vera esse debet. Possent explicari: Qui primus esse



esse et reliquis praestare deberet, (h. e. Hippolytus,) ille contemnitur, vexatur, opprimitur. Possent etiam hic sensus subesse: Reuertuntur similes casus miseri, qui antea acciderunt. Antea oderat Phaedram miseram Hippolytus, nunc vero Theseus Hippolytum odit. Possent denique ita intelligi: *Prima rerum conditio, quae initio aderat, in deterius conuerti solet*, qui primo felix et laetus erat, mox infelicitate atque tristitia implicatur, qui primo amabatur, mox odio habetur. Vltimam explicationem praefero, partim propter antecedentia, in quibus in uniuersum totius humani generis mentio iniicitur: neminem hominum felicem videri; partim propter similem locum in Supplic. v. 331, ubi etiam de forte felici mox in deteriore mutanda haec inter alia leguntur: ὁ γὰρ θεὸς πάντ' ἀναστρέφει πάλιν.

v. 995: τὸ μὲντοι πρᾶγμα ἔχον καλῆς λόγους, εἴ τις διαπτύξειεν, ἔ καλὸν τὸδε.  
Antea in plurimis edd. legebatur: πολλὰς λόγους. Illam vero lectionem: καλῆς λόγους non solum Codd. optimae notae confirmant, sed ipse etiam Scholiastes suadere videtur, quamuis contrario modo hunc locum explicet. Nam putat, hunc sensum Euripidis verbis inesse: haec causa iustas quidem rationes contra me continere videtur, sed si quis eam accuratius inquisuerit, non iustam suppeditat mei reprehensionem. Qui sensus si Euripidis verbis inesset, haud dubie scripsisset: καλῆς λόγους εἴ τις διαπτύξειεν ἔ καλῆς — Magis igitur adcommodata Euripidis verbis est interpretatio: Haec causa, quamuis per se turpe crimen complectatur, (τὸ μὲντοι πρᾶγμα ἔ καλὸν τὸδε) certe tamen argumenta non contemnenda, quibus ad me defendendum uti possim, suppeditat. Apte igitur secundum Codicum lectionem illud: πρᾶγμα ἔ καλὸν huic: λόγοι καλοὶ opponitur.



v. 999: ἄλλ' ἴσιν αἰδῶς, μήτ' ἀπαγγέλλειν κακὰ  
μήτ' ἀνθυπαργῆν ἀίχερά τοῖσι χρωμένοις.

Brunckius ex coniectura Reiskii, quam Valkenarius quoque non improbat, edidit: μήτ' ἀπαγγέλλειν κακὰ, non in se recipere patranda facinora. Cui quidem emendationi non solum consensus Codicum adversatur, qui lectionem vulgaram defendunt, sed sequentia etiam verba ei non fauent. Nam si illud: ἀνθυπαργῆν ἀίχερά significat: officia aequè turpia pro malis iam praestitis reddere, certe parum discriminis cogitare licet inter haec duo: ἀπαγγέλλειν κακὰ et: ἀνθυπαργῆν ἀίχερά; nam utraque dictione facinora mala, quae homo ipse patrat, indicantur, Mihi igitur lectio vulgata: ἀπαγγέλλειν κακὰ adhuc defendi posse viderur, si eam explicaueris: malefacta prae se ferre, eaque non solum verbis manifestare sed coram amicis etiam patrare. Cui quidem interpretationi auctoritas quaedam ex verbo cognatae significationis: ἀποδεικνύειν κακὰ accedit. Certe autem pudor, quem amicis debemus, postulat, ut a malis actionibus in illorum conspectu et laudandis et patrandis abstinemus. Qua interpretatione admissa diuersus quoque sensus verbis: ἀνθυπαργῆν ἀίχερά inest; quibus indicatur: amicitiae et officii causa adiuvare et maturare aliorum flagitia, quamvis illa non ipse commiseris. Hippolytus autem duplici huius loci sententia aperte Phaedram eiusque Nutricem respexit, quarum illa erat impuri erga priuignum amoris rea, quem Nutrici suae manifestauerat, haec autem Phaedrae infelix ad explendum illum amorem auxiliam tulerat.

v. 1016: γαυφῆ τε λυσσῶν· ἔδε ταῦτα γὰρ σκοπεῖν  
πρόθυμός εἰμι, παρθένον ψυχὴν ἔχων.

Interpretibus iure displicuit illud: γαυφῆ ante: σκοπεῖν positum. Reiskius igitur priorem versum emendauit: γαυφῆ δὲ λυσσῶν



των β; τὰ τοιαῦτα γὰρ εἰ σκοπεῖν — sed simul hac emendatione vim metro intulit. Valkenarius coniecit: ταῦτα καὶ σκοπεῖν et illud: καὶ pro: καὶ ὁμῶς positum putat. Cui quidem coniecturae Brunckius propterea aduersatur, quia illud: καὶ ad sensum totius loci nihil conferret. Ipse autem indoli linguae magis consentaneam putat emendationem: ταῦτα μὲν σκοπεῖν, quam quoque recepit. Equidem statim admitterem elegantem Brunckii lectionem si mihi persuasum esset, librariorum facile particulas: μὲν et: γὰρ confundere potuisse; cum tamen h. l. nulla quidem lectionum varietas in Codd. deprehendatur. Malim igitur pro: γὰρ emendare: εἰδὲ ταῦτα γ' ἂν σκοπεῖν προθύμῳ ἐμῷ; quae quidem emendatio non multum recedit a lectione recepta atque simul orationi contextae et linguae indoli non aduersatur, modo illud: ἂν non ad: ἐμῷ, sed ad: σκοπεῖν referas.

v. 1023: μάταιος ἄλ' ἦν, ἔδαμῃ μὲν ἐν Φρονῶν.

Aptissimum sensum haec verba fundunt: *Stultus fuisset, minime vero prudens.* Sed quia Marklandus coniecerat: καὶ ἔδαμῃ μὲν ἐν Φρονῶν, hanc eius coniecturam quoque Brunckius in editione sua recepit. Valkenarius quidem Marklandi coniecturam ut elegantem laudat, sed dubitat adhuc, an Graeci etiam aliis locis pro illo: ἐκτὸς Φρονῶν εἶναι, dixerint: ἔδαμῃ Φρονῶν εἶναι. Quia igitur Codices etiam Marklandi coniecturae aduersantur, nondum inter ipsa poetae verba videtur esse recipienda. Marklando quidem Scholiastae verba excogitandae huic coniecturae ansam dederunt, quae tamen non integra esse videntur. Scribitur enim ἔδαμῃ, Φησι, συνέσεως ἤμην ἐγὼ τοιαῦτα ἐννοούμενος. Satis quidem apparet ex illis Scholiastae verbis, lectionem: Φρονῶν ipsi non ignotam fuisse, quia scribit: ἤμην ἐννοούμενος. Cum vero plus insit vocabulo Φρονῶν atque simul indicet, prudentem cogitandi rationem sequi; Scholiastes in antecedentibus scripsisse videtur: ἔδαμῃ,



ἔδαμῃ, Φησι; μετα συνέσεως seu forte: ἔδαμῃ, Φησι, συνετῆς ἡμῶν etc. Certe turpem h. l. interpretem ageret Scholiastes, si verba poetæ minus obscura: ἔδαμῃ Φεενῶν, modo vere a poeta essent profecta, verbis obscurioribus et parum Graecis: ἔδαμῃ συνέσεως, explicare voluisset. Οὐδαμῃ vero apud optimos scriptores Graecos saepe pro: ἔδαμῶς usurpatur.

v. 1024: ἄλλ' ὡς τυραννεῖν ἦδὺ; τοῖς σώφροσιν

ἦκιστα γ' —

Quadruplex distinguendi ratio in hoc versu potest locum habere. Siue cum antiquis edd. signum interrogandi post: σώφροσιν collocatur; siue nulla plane interrogatio infertur, sicut Brunkius fecit, sed punctum in fine versus ponitur; siue interrogandi signo post: ἦδὺ distinguitur, vocabulo: σώφροσιν cum sequenti: ἦκιστα γ' coniuncto, sicut Marcklandus, Musgravius et Valkenarius suaserunt; siue comma tantum post: ἦδὺ est ponendum. Tertius distinguendi modus, quem Valkenarius cum aliis quibusdam secutus est, mihi maxime placet. Nam male fingitur, Theſeum referre Hippolytum inter sapientes, et ipso Hippolyto est indignum, de se idem affirmare. Porro illud: ε' cum σώφροσι coniunctum melius quadrat, si vertitur: *sapientibus certe non iucundum est imperium.* Similes denique interrogationes iam in antecedentibus poetæ verbis adfuerunt. Propterea autem nemini, nisi qui externo splendore seduci se passus est, imperandi potestatem placere dicit, quia tali imperio maximum onus sibi impositum sentit sapiens. Nisi enim imperanti pericula, seditiones et ignominia timenda sunt, semper virtutibus et omni agendi ratione, quibus imperat, superior esse debet. Sed ipsa gravissimorum multitudo negotiorum in imperio administrando impedit, quo minus semper optime agas. Quare mauult Hippolytus modo singulis virtute praestare v. c. in certaminibus lu-



ludorum Graecorum, quia tunc fieri possit, ut aliis praestantior euadat; non autem perpetua imperandi potestate in ciuitate, quia tunc vires superet humanas, ut tua quoque agendi ratione omnibus praestes.

v. 1035: ἔργοις ὧν εἶδες τὰς κακὰς διεξίωγ.

Non negari potest, doctam et aptam esse Reiskii coniecturam, ut pro: εἶδες legatur: εἴλες; quia tamen librorum auctoritas deest, eam nondum cum Brunckio reciperem. Nam verbi εἶδες sensus est etiam aptus: *accuratius cognosceres*. Aperte autem respicit simul Nutricem Phaedrae absentem, turpis amoris conciliatricem, quia dicit: εἶδες τὰς κακὰς.

v. 1045: ἐσωφρόνησεν, ἐκ ἔχρσα σωφρονεῖν

ἡμεῖς δ' ἔχοντες, ἢ καλῶς ἐχρώμεθα.

Varias huius loci explicationes attulerunt interpretes. Nullius pretii est alterius Scholiaetae sententia, qui putat illud: ἔχοντες pro σωπήσαντες positum esse, cum aperte ex antecedentibus suppleri debeat: σωφρονεῖν. Sed longe melior est illa alterius Scholiaetae, qua duplicem interrogationem his verbis inesse censet. Equidem nihil video, quod aptissimae huius interpretis explicationi iure opponi possit. Primo enim verba Graeca in utroque versu certe eiusmodi interrogationem admittunt. Deinde illa explicatio: *fuitne illa temperans, quae tamen se continere non poterat?* cum antecedentibus apte conuenit, in quibus dubitationem contra Phaedrae virtutem iam mouerat dicens: utrum illa timore incitata vitam profuderit, nescio. Quia vero ei iurisurandi religione impedito impurum Phaedrae amorem ita, ut ipsi declaratus erat, enarrare non licebat, ex facinore saltem aperto, nimirum ex morte eius voluntaria, de qua quidem illud: ἐκ ἔχρσα σωφρονεῖν interpretor, temperantiam Phaedrae contra

The-



Theſeum impugnare conatur; ſuam vero caſtitem quam nullo adhuc flagitio contaminauerat, illa interrogatione repetita et ſenſu plane contrario prolata eo fortius defendit. Nihil denique vim totius orationis, quam Hippolytus habuit, magis augere videtur duplici illa interrogatione. Satis quidem conſtat, raro orationem laudatam cum interrogatione quadam finire poſſe, niſi affectus vehementiores aut ipſe exprimere aut in animis auditorum excitare velis. Quantum autem dolor nunc filii innocentiffimi animum occupare debuit, quem pater flagitii omnium turpiſſimi reum agebat! Quam apte igitur, prolatis iam argumentis ad confirmandam innocentiam ſibi propriam grauiſſimis, illam addidit interrogationem, ut patris irati miſericordiam excitaret atque animum eius valde perturbatum ad ſedatiorem reuocaret cogitandi rationem! In uniuerſum enim illi orationi, qua Hippolytus obiectum ſibi crimen diluit, tantum eloquentiae artificium, Valkenario teſte, ineſt, ut in eam inprimis quadret Quinctiliani iudicium Inſtit. Oratt. Lib. X, cap. I, de Euripide prolatum, qui ſit *in dicendo ac reſpondendo cuiſlibet eorum, qui fuerunt in foro diſerri, comparandus*. — Praefationis loco concedit Hippolytus, turpe eſſe hoc crimen, cui pater iure irafcatur. Sed aptam tamen deſenſionem ſibi ſuperſeſſe v. 994 — 997. — Ad eam ſuſcipiendam prius beniuolentiam patris captat, commemorata eloquentiae ſuae inopia; quae magis inter paucos et aequales ſit conſpicua. Se igitur coactum nunc loqui, v. 998 — 1001. — Deinde *caput cauſae attingens*, ut ſuam demonſtraret temperantiam, cuius violatae ſit accuſatus, docet 1) ſe erga Deos hominesque pietatem exercere, v. 1002 — 1012. 2) ſe nunquam adhuc pudicitiam ſuam violafſe, v. 1013 — 1017. 3) ipſum patrem nullius criminis, quod eo ſpectarit, ſe accuſare poſſe, v. 1018, 1019. 4) cauſas huius criminis, quae eum impellere potuiſſent, parum idoneas eſſe, ut: a) quia Phaedra omnium mulierum pulcherrima fuerit, v. 1020; quod non refutat, cum ineptum fuerit, tale quidquam de femina ulla ſtatueri;



ruere; b) quia cupierit perpetuo in regia versari; quam vocat insaniam v. 1021 — 1023, quippe tunc ei magis timendum erat, ne expelleretur; c) quia in uniuersum fuerit regnandi cupidus; quod negat et tantum, se esse vincendi studiosum, concedit v. 1024 — 1031 — *In Peroratione*, ut inprimis iram patris minueret, ipse grauissimos declarauit animi affectus, et quia testis certus, ut queritur, ipsi non suppetebat, iusiurandum cum diris grauissimis adiecit. Non leuem denique dubitationem et suspicionem aduersus Phaedram in fine orationis mouit, ut ita patri uberius medicandi seque ab illo crimine absoluedi occasionem suppeditaret. Non igitur mirum est, si Euripides defensionem tot argumentis confirmatam aptissimis repetita interrogatione ad intimum filii dolorem declarandum finiuerit. — Sed paucis adhuc commemoranda est duplex Musgrauii atque Heathii sententia, quorum ille in verbis huius loci diligiam adhiberi censer, ut illud: *σωφρονεῖν* primo: *calide et prudenter agere*, deinde etiam: *pu dicum et temperantem esse*, significet; hic vero verbum: *σωφρονιστον* vertit: *pu dica existimata est*. Neutram, quamuis linguae usui non repugnet, h. l. sequor, quia in defensione verbis definitis et maxime usitatis non autem ambiguis uti debemus. Nisi enim interrogationem adhibeas in his verbis, Thefeus de vera illorum significatione incertus esse debuit, siue Musgrauii siue Heathii sententiam amplectaris.



**P**lures quidem notas ad hanc Euripidis tragoediam adiciere, quarum nunc quarta a me edita est particula, institui ratio non patitur. Sed indicendae sunt orationes quorundam iuuenum ad memoriam summae virtutis, qua Christus hoc tempore totum genus humanum sibi deuinxit, celebrandam in Lyceo Torgauensi habendae. Verba facient

d. XXII Martii:

- I) CHRISTIANVS AVGVSTVS NEIDER, *Sirebla-Misnicus*, latine: *De maxima laetitia, ex actionibus, quae aliis profunt, redundante.*
- II) IOANNES CHRISTIANVS GOTTLIEB SCHRECK, *Belgoranus*, latino carmine: *De inconstantia credulitati propria.*
- III) CHRISTIANVS GOTTLIEB KOLBE, *Muglento-Misnicus*, vernacula lingua: *De vera fiducia, in Dei auxilio posita, nec unquam fallente.*
- IIII) IOANNES CHRISTIANVS GOTTLIEB LEHMANN, *Caulitio-Misnicus*, vernacula lingua: *De legum auctoritate in iustitiae exercitatione posita.*

d. XXV Martii:

- I) IOANNES GODOFREDVS EHRHARDT, *Borna-Saxo*, latine: *De pacis studio, Christi affectus inprimis ornante.*

III



- II) CHRISTIANVS FREDERICVS IAHN, *Mariaebergens.*  
germanice: *De virtute nunquam satis aduersis obnoxia.*
- III) HENRICVS AVGVSTVS IAHN, *Fribergens.* latino carmine:  
*De vera amicitia, etiam post ultima fata superstite.*
- III) CAROLVS FREDERICVS UHLISCH, *Pulswardens.* vernacula lingua: *De artibus liberalibus, eximii ad humanitatem exercendam adiumentis.*

Vt igitur Patroni atque Fautores Lycei Torgauensis, in quorum numero primum compellendi sunt ANTISTES SACRO-  
RVM SYMME VENERABILIS, SENATVS CIVITATIS AM-  
PLISSIMVS, MINISTRI SACRO-  
RVM PLVRIMVM RE-  
RENDI et MAGISTRI SCHOLAE CLARISSIMI, praesentia honorifica ornare exercitationes iuuenum illorum oratorias et ita industriam eorum ad continuanda literarum studia magis excitare velint, omni, qua decet, obseruantia rogo. Neque dubito, quin voluptas non parua ex scientiae incrementis, si qua sunt a iuuentute huius Scholae capta, ad ipsos quoque redundatura sit illorum Fautores.

Scripsi Torgaviae, Kalend. Martii, A. c1b1 CCLXXXVI.







AB 153172



TA-OL

VORP

R









Q V  
EVRIPIDIS

N

AD OR

IN SCH

HO

D. XXII ET D. XXV

BENI

PATRONO

TRAVGOTT F

AA. LL. MAGISTE

EX OFFI



29  
VVM

VI

96

CT